



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 46. Turbæ in Galliis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

infectatus est. Hæc tamen caussa deci-
 fa non fuit, & Duces, animorum exacer-
 batione immoderatus crescente, totum
 negotium ad aliud tempus idque oppor-
 tunius differendum censuerunt.

Sæcul. XV.

A.C. 1417.

§. XLVI.

Turbæ in Galliis.

In Gallia dominandi libido usque adeo
 Ducis Burgundi obsedit animum, ut
 Calleti colloquio cum Rege Angliæ
 habito, inducias pro suis duntaxat ditio-
 nibus renovaverit, qua agendi ratione
 quodammodo fidem dederat, se Regi nul-
 las unquam suppetias ministraturum.
 Caeto demum Valentianas profectus,
 Guilielmum Hannoniæ Comitem, nec-
 non Delphinum generum suum invisit,
 qui omnes tres de mutuo contra hostes
 suos auxilio juratum foedus iniere. Tunc
 primum Delphinus aperte contestatus est,
 se Armeniacorum familiæ adversaturum,
 promisitque Burgundo, se nunquam ni-
 si eo comite aulam repetiturum. Qua-
 propter inter eos sancitum, Hannoniæ
 Comes ad aulam regiam sese conferret,
 ut juxta præconcepta consilia inceptam
 pertexeret telam, Delphinum tamen Com-
 pendii relinqueret. Hic postquam ve-
 niam redeundi pro Burgundo obtinere
 nequiverat, Delphinum secum reducere
 U 5 commi-

Juv. Ursin.
Hist. Car. VI

Sæcul. XV. comminatus est, quo comperto ipsummet
A.C. 1417. captivum detinere statuerunt, donec Delphinum Patriæ reddidisset, ille vero cognito eorum consilio clam auffugit. Ut autem mala ex hac confœderatione oritura prævenirentur, Delphino ejus genero venenum propinabatur, quo & die decima octava Aprilis mortem oppetiit.

§. XLVII.

Delphini obitus.

Delphino e vivis erepto, hunc necnon Turoniæ Ducis titulum unacum jure successionis in Franciæ Regno adeptus est Carolus ejus Frater, juratus Ducis Burgundi hostis. Hujus focer Andegavensis Dux in suspicionem trahebatur, quod duobus fratribus natu majoribus, ut Generum suum in solium evehere posset, mortem procurasset, attamen si vera fuerit accusatio, certe gaudium e scelere natum non fuit admodum diuturnum; nam ipse adhuc mense Augusto vita functus est. Interea vero Rex, Delphinus, & Parisiensis civitas Connestabulis Armeniaci imperio subdita erat, atque ejusdem potentiæ sola Regina quodammodo frænum injiciebat: sed & ipsa Armeniaci artibus aula exire, & Turonium tanquam captiva tendere jussa est, cujus facinoris nunquam oblivisci poterat Regina,